



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 65. Brederodus animo dejectus, & relicta Hollandia mortuus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI. A. C. 1567. 1567 viam Megano Comite, non modo spe potiundæ urbis frustrati, sed etiam eodem insequente, in Vaterlandiam fugere compulsi sunt. sed neque hic diutius securi ab armis Megani fuerunt, ideo conscensis navibus, Frisiam petebant, ubi tum vento obnitente in Geldriam delati, dispersique sunt, atque alii in alias terras, omnes e Regiis provinciis elapsi iunt, atque una tantummodo navis, in qua præda omnis ex Hollandiæ templis erepta vehebatur, devenit in Ernesti Mulartii manus, quem ad insequendos fugitivos, cum instructissima triremi paulo ante miserat Arembergius Comes, ubi Milites spoliati omnes armis, ac præda eis erepta fuit, Duces autem, ac primarii quique, partim Harlingæ custoditi, partim in Viluordianum carcerem Margaritæ jussu ducti, ac paucis post mensibus, sub Albano Belgii Governatore, ultimo supplicio affecti sunt.

§. LXV.

Brederodus animo dejectus, & relicta Hollandia mortuus.

Strad. l. 6. Supererat pertinax Brederodus, qui ob suorum cladem animo fractus rebus suis propere compositis paucos famulos in arce Vianna reliquit, ac cum uxore, & reliqua familia Emdam Frisæ

fiæ Orientalis urbem ad Amisiæ fluminis ostium sitam appellit: sed ibidem parum honorifice susceptus, Bremam in Vestphalia contendit, atque inde mutata iterum sede incertus animi pariter, ac loci, seque omnium ludibrio exponi indignatus, tandem ad Comitatum Schauenburgium in Germania aufugit, ubi cum copias aliquot contrahere pararet, repentino morbo correptus emota furiis mente infelicem animam exhalavit.

Sæcul XVI.
A.C. 1567.

§. LXVI.

Universa Hollandia Gubernatrici subdita.

Brederodi fugam subsecuta est universæ Hollandiæ deditio, præprimis enim Viannenses ablegatis Deputatis seditionis veniam petebant, ac militare præsidium deposcebant: ast tum eisdem utrumque fuit denegatum, quippe in Regis adventum dilata est venia, placuitque Senatui, ut Vianna mœnibus nudaretur, arx vero a Brederodo contra Gubernaticis imperium exstructa everteretur. Præterea Amstelodamum, Lugdunum Batavorum, Harlemum, Delphia, ceteræque urbes ultro præsidia partim a Megano Comite, partim a Norcarmio acceperere, nec minus idem Middelburgi, aliisque Zeelandiæ urbibus,

Strad. l. c.

bus,